

rent, formam quam proxime accedunt. *Echinophorae* aculei, quibustota conspersa est, nomen indidere. Operculo, succo, substantia, a parvo buccino non differt. *Cylindroides* pyramidem, refert, pyri modo turbinata, magnitudine pugni, et punctis variis subcastaneis notatur. *Laevem turbinæ obtuso*, politam admodum Rondeletius facit. Testa est crassiore, carne minus dura. Frequentissime circa Levinum insulam capitur. Hisce adde *Limacis marini* insolentem speciem, nec non Cochleam marinam aliam tuberosam, quorum Icones damus. *Umbilicum marinum* Bellonius lapidi rubro persimili tegumento rugoso et scabro occludi scribit, quodque solum inter Gallici Oceani turbinata politiem admittat. Rotundiori hiat ore, edulisque est. Clavicula earum herbarum more, quae sese arboribus alligant, a dextra

ad sinistram invertitur. Papaver in clavicula testae continetur. Rondeletio *Umbilici* vocantur, quod praeter foramen illud, quo cochleae saxi inhaerent, quoque exerunt, alterum habeant umbilico admodum simile, quod profundum convolutionum veluti centrum est, vel circa quod anfractus Cochleae convolvuntur, veluti circa περικύλιον.

Duos inprimis apud Rondeletium habemus, quorum prior, superiore parte latior, mox in turbinem desinens, nigris, rubris, et albis tuberculis, corallorum omnium colorem et naturam referentibus, distinguitur: alter ciceris magnitudine, qui in spongiis reperitur, veluti granulis rubri coralli aemulis conspersus est. Inter umbilicum et foramen quo corpus exierit, testam incisam habet, incisurae operculi vice sunt.

ARTICVLVS IV.

De Echinis.

TAB. XIII.

Aldrov.

l. 3. c. 40.

Nomen.

Descriptio.

ECHINVS, quem quidam cum Echeneide pisce perperam confundunt, Graecis ἐχινός, vel ἀπὸ τῆς ἔχειν ἑαυτῇ τῶν σαρκῶν ἀφανῶν ἔσθῃ, vel ἀπὸ τῆς μὴ δύνασθαι ἔχεσθαι διὰ τοὺς ἀκάνθας ὁ ἐστὶν ὁ ἀκρόατης, quod teneri ob aculeos non possit, dicitur. Quidam Carduum marinum, nec non Erinaeceum vocant. Spinofus ergo est piscis. Mirum est, quod de iis Aristoteles reliquit. Eorum scilicet corporis partes dissectas coire rursus et redintegrari. Idem apud Aelianum et Philen invenies. Spinae ipsis pro pedibus sunt: his ingrediuntur et volvuntur in orbem. Hinc eos saepe detritis aculeis invenias, quod Aristoteles et Plinius prodidit. Agilius et celerius moveri qui sunt cibo idonei, vel exinde colligas, quod semper aliquid algae suis implexum spinis gerant. Imminente tempestate sese affigere aut harena saburrare, ne a fluctibus excuterentur, inde procellarum nautis praesagia, ab Oppiano, Plutarcho et Plinio creditum: at Bellonius frustra hoc credi prodidit, quod

multis promuscibus instructi, a fluctibus volutari non possint.

Sunt ex illis quidam ἀβρωτοί, seu cibo inepti; sunt tamen quorum et in *Eduliis usus est*. Nullo enim tempore ovis carent, ut Aristoteles prodidit: maxime tamen pleniluniis diebusque tepidis pleniores redduntur, eos si excipias, quos Pyrrhaeus fert Euripus, qui hybernis mensibus meliores censentur. Exiguum illudque humidum nutrimentum praebent, Mnesitheo authore, sed quod Galenus stomacho commodum esse existimat. Ventrem dejicere, omnes fere scriptores annotarunt; magis eos qui circa Cephaleniam, Icariam, et Hadriam nascuntur, quia amarescunt minus, rubicundos, melinos, crassiores, et qui cum raduntur, lacteum quiddam emittunt. Plinius Secundus jus eorum multis verbis commendat, quo vocabulo aquam internam esse intelligendam, Gesnerus putat. Laco apud Athenaeum unum in os immissum una cum testa dentibus comminuit: nostri, inquit. Dalechampius

Usus.

Galen. l. de
attenuante
victu.